

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Justa funebria piis manibus Serenissimi Principis ac  
Domini, Domini Friderici, Per - incluti Marchonatus  
Bada-Durlacensis Haeredis quondam Exoptatissimi, ...**

**Eisenlohr, Johann Jacob**

**[Lauffen], 1732**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-8655](#)



גָּדוֹלָה



Emperate, Amici, à lacrymis! temperate queso! non  
est, quod lugeatis: fore enim spiro, atque confido,  
ut suam mihi Deus conservet gratiam, cuius suavi-  
tate perfusus cœlestem ad anlam adspiro.

Audistin' vocem verè Christianam, Vocem,  
quæ digna Christiano, Christiano Principe  
dignior, dignissima FRIDERICO!

VIRI

Maximè Reverendi, Amplissimi, Plurimum Reverendi, Nobis-  
sissimi, Clarissimi, atque Doctissimi,

Domini Auditores omnium ordinum Honoratissimi!

FRIDERICUM vobis fisto, lethi intrepidum, FRIDERICUM  
mediis in terrorum fluctibus aureâ fruentem pace, FRIDERICUM  
non Nostrâ Serenissimâ, sed Brandenburgica Domo, aspernum  
quondam Achillem Germaniæ, qui

Hostibus haud tergo sed fortí pectore notus

Sæpè expugnati primus stetit aggere muri,  
qui gloriosius sibi ducebat nihil, quam victoriae palmam prelio-

A 2

fissimo

sifissimo pretio, suo ipsius sanguine redimendam, adeoque cum triginta ferè abhinc annis adversus infesta Bavaronum signa acerrime præliaretur, glande plumbeâ trajectus brevi post expiravit. Advolabant Hippocratis Pulli ad saucium, medicam allaturi opem: quo se ipsi vertant, harent: hæret lingua: linquâ titubante mussitant: Actum est de Illo! moriendum! Quo quid tristius nuncio? Perturbari verò Fridericum? trepidare metu? Falleris? Nihil inquit meis est acutius doloribus; quid verò? An non iidem meæ vitæ abrumpunt filum, eoque transferunt, ubi nec morbi, nec luctus nec anxia cura sollicitant miserias trepidâ formidine mentes, sed est secura quies & nescia vita senecte.

Appello, Auditores, ad vestram Ipsorum conscientiam, quid animosius obviam it, minacissimo illi terrorum regi, quam in vulneribus JESU defixa insertaque fides? Quām facil negotio truculentus hic Sisera ad pedes amplectentium vitæ Principem abjectus profligatur? Sed quid Amici Morientis à Medicisque deplorati? Hoc uno iectu ferè exanimnes omnes: nil nisi flere lubebat: suum sibi Dominum etipi lamentabantur: rubeant in amplexus in osculaque: migrabis hinc, O PATER? nos orbos nunc relinques? Orbos! Orbatur Fridericus πληεροφορία, παρροσία, ὑποσάσει? Dicam uno verbo: fiduciâ in Deo? Non cadit fidei Heros, sed stat, consistitque fortissimi militis instar, instar petræ ad creberimas fluctuum percussions immotæ: Temperate, Amici, à lacrymis, temperate quæso! ajebat moribundus jamjam, non est, quod lugeatis: fore enim spero, atque confido, ut suam mihi Deus conservet gratiam, cuius suavitate perfusus cœlestem ad Aulam adspiro. Stetit Deus suis promissis, non sivit dono gratiæ exercere Fridericum, quin cum membra jamjam solverentur frigore, in turbine lethi jactatum ab ignitis Satanæ telis virtute Spiritus Sancti adpræmuniuit, ut unione corpus inter animamque dissolutâ, sacrâ lauro redimitus medio in Cœlitum choro gaudio triumphaverit.

Satis diu multumque defletus fuit *Fridericus Brandenburgicus*. Quid? Annon & nostra ora, sinusque permadeant lacrymis? O *funestissimum diem!* gravitate doloris percussus alterâ vice exclamo: O *funestissimum diem!* Dies *vigesimus sextus Martij*, quam *funestus fuerat Domui Brandenburgicæ*, tam *Nostræ etiam Serenissimæ*, nobisque omnibus, qui miseri, qui calamitosi, qui, ubi pedem figamus, *incertissimi*. Respice, O Deus! jacentes! miserere sortem nostram, quâ acerbius nihil. Intendite, obsecro Auditores, ingenii nervos, quid jacturæ datum sit, perpendite. O utinam dígito competere liceret labella! Ast loquendum est: loquendum? vociferandum: vociferandum? palam vociferandum, occidisse Phosphorum, qui lætitia diem nobis portare solebat! Commonstrate mihi Paradisi Florem Marchici, odores gratiae latissimè fundentem. Nusquam ille appetet. Ubi CAROLI Marchionis Pupilla? infossa terræ absconditur. Ubi Vita MAGDALENÆ QUILIELMINÆ? mortua est. Ubi AMALIÆ Portus? factum est naufragium. Ubi Nobilissima BÄDENSIUM Gemma? Periit. Ubi Aurea illa, cui tot incumbebant Principatus, Columna? Diruere fata. Ubi Clericorum Spes, Illustris Ministerij Politici omniumque subditorum Sacra Anchora? Hic animus, hîc lingua, hîc membræ cuncta deficiunt. Proh Deum immortalem! Isthæc in uno FRIDERICO, Principe Nostro Hæreditario perdidisse nos omnia! Heu damnum irreparabile! Horreto! gelidusque currit ima per ossa tremor! Sed peccata cum nostra, tum publica: hæc, hæc glandes Pientissimum Principem transfixerunt, exanimarunt, è medio terrarum sustulerunt. Quæ ad divina iudicia justorum trepidat prudentia. In sinu gaudeat mens impia! Adesdùm Pietas! Tu, Tu in fletus solvere. Et quis Vestrum est, Spectatissimi Auditores, quin & suo ipsius & Marchicarum ditionum ingemiscat malis? Egresso è finibus humanæ vitæ FRIDERICO, qui hujus perversitate seculi propemodum

A 3

confectos

confectos refocillavit usque adeò, ut vel solâ recordatione tam Sancti Principis ad spem solidâ felicitatis revivisceremus. Patet nostrarum, quas jam effudimus, querelarum justitia.

Emergamus squalore luctus, regressi ad Friderici Brandenburgici memoriam, qui lacrymas, doloresque Amicorum Summi Numinis voluntati involvit, suum verò animum ad astra prope-  
rantem vitæ optatioris expectationi consecravit. Pari fere ratione divino regimini mancipaverat *Badensis FRIDERICUS*: Provoco ad omnes qui astitere Moribundo: nihil cum tremore dicere: non rapi ad mortem, sed ire, sed volare quasi remigio alarum, non fata plangere præcoccia, non opes, non Amplissimos Princi-  
patus: Contrà ea ridere ridendas mundi pompas, Vanitates, ir-  
ritamenta: Summa votorum non nisi beata *ανάλυσις*, dulcissima summo cum Deo societas, oscula Sponso animæ figenda, in bo-  
narum mentium Collegium cooptatio: O dies malos, exclamabat,  
malos, malos inquam, quos agimus in corruptela huius carnis, substantâ  
Sarcinâ corporis corruptibilis, inter tot & tantes tentationes, inter difficul-  
tates tantas, ubi Falsa Voluntas, nulla gaudijs securitas, timor torquens,  
cupiditas arida. Ecce quām malos dies! & nemo vult finire illos, sed ro-  
gant homines Deum, ut din vivant. Quid est antem din vivere, nisi din  
torqueri? quid est vivere din, nisi malis diebus addere dies malos. Malî  
sunt hi dies, & eò peiores, quia diliguntur. Sic blanditur hic mundus,  
ut nemo finire velit malos dies. Illa demùn vita & æterna est & beata,  
cum resurgent & regnabimus cum Deo, ad illam adspiro. Hæc cum  
Divo Augustino *FRIDERICUS* ipso vitæ sub fine labantis. Mit-  
tamus igitur lacrymas, tripudiante, atque exultante in Deo *FRI-  
DERICO*, dolori nuncium remittamus, *FRIDERICO* velocis  
aquilæ instar, justitiæ ad solem evolante, cum epigraphe: *Terre-  
na forden*.

Sordeant? Mascula vis animi! Stupeo. An igitur metuendi  
potitus sceptri, quem futurum Patriæ Patrem circumfluebant tur-  
ba

ba hominum, clientelæ se devoventium splendores hosce adeò floccifacere potest, ut ὁ βοθεῖων βοθεῖοτον illud, quod extrema linea rerum, quod sceptra ligonibus aequat, ambabus, vultuque hilari excipiat velut hospitem omnium gratissimum? Odiosum, odiosum est, Auditores, amplexari mortem, naturæ, non fidei, improbis, non probis. Nam qui verbo sati veritatis genus ducunt olympos, in olympos, in modo supra polum in ἡ περιστορα isto jucundissimo, ubi exaudiuntur ἀρρητα πνευμata, & ἀρρητα videntur, non heic locorum suum inhiant, querunt atque inveniunt Diadema, gloriae fastigium sui in despicientia, in tenebris lumen, ortum in occasu, in funere vitam. Nonnè istuc est, in se damnosam mortem in lucro deputare luculentissimo?

Augustius quod mortalibus habetur, quod grassantibus ad gloriam, atque apicem dignitatis permultorum stetit sanguine. Eminentiae id atque prærogativæ FRIDERICO Nostro sola ex Natalium affluxerat felicitate. En Divum à Divis, à FRIDERICIS FRIDERICUM! En Marchiones Inclite Domus Badensis ovo prognatos eodem, sanguinis Regij Nobilissimos Traduces! Ecquis verò eâ de re dubitavit unquam? Enarrare igitur in vulgus nota, supervacaneum: Ultrò, ultrò ὑπερέχης istud admirantur & agnoscunt, quos Purpura ornat, sæpiissimè prædicarunt Romani, qui floruere Imperatores, per affinitatis sanctissima jura connexi, innexique. Quæ causa quoque est, cur in Badensium facie Principum imago Regalis prorsus resplendescat, Nostrum verò Imperioſa Majestas à FRIDERICIS Atavis, CAROLO què Auguste Gravitatis Genitore insita reddiderit orbi Venerabiliorem.

Dixi multa, magnaque: majora supersunt. Tremulâ constat luce coruscare lampada, nisi illam perpetuò animaveris, pinguitudinem olei affundendo. Stat fortuna domus & avi numerantur avorum. Vah! quantum jubar! Quicquid verò est illud, umbra, tenebrisque densissimis obtexitur, atque ut, quod res est, fatear, obscu-

obscurioribus sortis infimæ natalibus adæquatur , nisi lumen ejusmodi natale die , noctuque virtutis honore nutriatur . Nam si laudes aliquem , quia generosus est , parentem ejus laudas : si verò , quia dives est , fortunæ hoc debetur : si eum laudas , quia bonis artibus sit doctus , & valdè eruditus in togatâ & armatâ scientiâ , quantum homini licet , tum ipsum Virum laudas , non aliena . Nascendi claritate excelluisse Friderici dicuntur , sed non æquè omnes doctrinæ vitæquè puritate . Fridericum Barbarossam crudelitatis absolvere renouunt Historici , saltem qui spiritu afflati Pontifico ridere buccis alienis ac loqui consueverunt . Sub judice lis isthæc sit , spiretque , nec per me unquam exspiret . Id certum , non defuisse Fridericos vitiorum maximè insignes maculis .

Quàm exactè Nostri mores FRIDERICI natalium amplitudini respondere ! Namque ut nihil , aut pauca tantum de eo dicam , sàpenuero , quæ intus lateant , per oris decorem prodì , neque rato corporis formam animæ nobilioris illud incolentis indicem esse , non secus , atque succi præstantioris in malo Punico delitescentis corticem adspectu jucundissimum ; Speciei verò elegantioris dotem Sibi jure quasi avito vindicasse FRIDERICUM ab GEORGIO FRIDERICO , vultûs adeò venusti Principe , ut nihil supra , Nostrûm sanè vix ullus fuerit , qui ignaret , qui non ipse oculis usurpârit , ad quam venustatem FRIDERICI Principis mores omnes valuerint , quanto lepo re Attico Ipsiis os affluxerit , quo quid facilius , quam se hominum insinuare animis ? Præsertim si accedat variarum apparatus doctrinarum . Nostrum enim per omnes excoluerant artes Veneranda Heliconis Numinia , videbaturque anima ERNESTI FRIDERICI expolitior in Hunc quasi revoluta . Quàm immortale verò Musarum Decus Ernestus Fridericus ille , cùm superesset , exitit ?

Portentum

Portentum ingenij nullum quo vastius aquor:  
 Ille animus capere, & cuncta tenere potens:  
 Cui Musarum omnes scopulos superare & in ipso:  
 Vertice Parnassi sistere posse datum:  
 Atque omnem Doctrinæ absolvere, qua patet, orbem.  
 Plurima dona Virum desuper astra locant.  
 Phœnicem orba suum plorabat Marchia ademptum,  
 Et novus ex Cinere hoc an mihi surget? ait.

Novus, novus prodierat Phœnix, Isque, in Quo celebrando sumus occupati, FRIDERICUS. Majora fide ne fari me suscipiemini. Qua enim ab admiratione uti emergatis statim faxo. Cogitate quæso, Auditores Eruditissimi, cogitate illos Artium atque morum Magistros, Principi in ipso ætatis flore constituto affixos! Vah! Quam generosa probitas! Quam exuperans Virom prudentia! Quantæ Parnassi ac totius Orbis Literati Deliciae! Palma fuerat in medio posita, sed prærepta nulli, singulis quippe non dignitate quidem pari, industria tamen, scientia rerum, Consiliorum acumine conspicuis. Demiramus eo nomine Uxyljos, Wallbronos, Eckardos, Cellarios, Demleros, Zachmannos, Burcklinos, dexteritate suum ad præclara quævis fingendi Principem diu noctuque pro cuiusvis sparta demandata confertantes. In hisce triumphabat Princeps velut omnium Epitome Doctrinarum, multo magis, quam in capta Regina Amazonum, Hippolite, Theseus. Ego verò Istorum in laudibus operosus esse nolo; Quas quis exhauiat, soli inferre lumen stolidissimum. Id nunc operam do, ut in Galliam atque ad Gallos potius mæ vela orationis ferantur. Cecinerant tum temporis in Gallia par Nobile Gallorum, eorundemque cantus ferè universum impleverat orbem. Media in Gallia Germanus quidam florebat, Germanis verè Germanus, Germanissimus itidem Gallici idiomatis Magister, in formanda pube Germanica,

ca, quæ summo loco, ad summaque omnia nata Lutetiam conflu-  
xerat, inde ac XL. annis occupatissimus. Quàm illustre nomen!  
Nomen *Germanus Brisius*, cuius laudem ne putet quis Vestrūm  
emorituram esse: Nam hic ipse est, qui totius Europæ Urbem  
(: Unam si Constantinopolin excipias:) magnitudine, frequen-  
tiâ hominum, palatiis superbam, maximeque estimandam, ca-  
put illud ac Regiam Galliæ, quâ de modo injecta fuit mentio,  
Lutetiam, stilo nitidissimo, & prorsus singulare adcuratione de-  
pixxit, omnium Doctiorum applausu exceptus, maximâ quoque  
ab Rege, ejusque Ministris Status gratia inita. Evidem jam  
ante Noster rudimenta posuerat in sermone Gallico, imò è Ger-  
mania ad Gallos adventarat Gallus: Nihilo tamen fecius refor-  
mandum, ac velut recoquendum fese illi dedit Magistro, ejus-  
demque operâ tantam fuit adsecutus maturitatem, ut *Gallis Gallus*  
in ipsis Galliæ visceribus exortus esse videretur. Habebat igit-  
ur in Germano-Gallia puritatis Galliæ Restitutorem, Priscillia-  
num quendam Cæsariensem, vel Catonem Grammaticum, qui  
posterior Romæ nobili sanguine Cretos docuit, tantumque sibi com-  
paravit nominis, ejus ut in laudem sequentes versus Canerentur:

*Cato Grammaticus Latina Syren,  
Qui solus legit, & facit Poëtas.*

*Sic & nos Germanum Brisium, Gallice, Germain Brice, Abbatem  
hoece elogio dimittimus:*

*Germanus Brisius Gallica Syren,  
Qui solus legit, & facit Gallos.*

Accedamus ad alterum Luteriæ fidus, *Cevalerium* puto, Gallice Mr.  
Chevalier Societatis Scientiarum socium per universas Galliæ oras Ce-  
leberrimum, quem ubi *Galliæ Archimedem* dixerō, i. e. in Mathesi omni-  
bus absolutum numeris, nulla sanè via aberraverim. Decantavit il-  
lum *Auctor libelli: Sejanus de Paris* inscriptus. Is verò apex honoris erat  
*Cevale-*

Cevaleriani, quod *Ipsum Gallie Solem, Potentissimum suum Regem Disciplinæ luce collustrandi copia ipsi data fuerit.* Patet Cevalerij præstantia. Quà Noster pellectus FRIDERICUS Sibi illum adsciscere Præceptorem animum induxit, in primis quod militarem ad Architectonicen attinebat, hunc nimirum præcipuo ornamen- to esse Principibus Viris ratus: Quo in studio quos Ille fecerit progressus, instar omnium Cevalerius est testium, qui *Discipulum ob agendi & cogitandi soleritatem sibi Doctori sæpius adequare non dubitavit.*

Dum hæc enatro, dilabitur oratio mea ad *Icones* istas in Palatio Regio splendidissimo, quod Gallis dicitur *le Louvre*, magna diligentia affervari solitas; Sed Corinthum hanc nemini nisi summo genere prognato adire licet. Stupebant veteres ad illa Orbis miracula, Pyramides Nili, turrim Phariam, muros Babylonis, Templum Dianæ Ephesiæ, sepulcrum Mausoli, Colossum solis apud Rhodios, simulacrum denique Jovis Olympici. Verum & *Icones Gallicæ* stupidum detinent spectatorem, detinent sumtus incredibiles, cùm una supercurrat summam triginta imò etiam quadraginta Librarum Gallicarum millium, detinet summa Inventoris sagacitas, ut nihil divinus ars humana potuerit confingere. Non enim tantum sunt simulacula Iconica, sed castella potius communia, Vallis, propugnaculisque velut contra impetus hostium circumjecta, singula spatiosis in conclavibus collocata, faverrimeque exsculpta adeò distinctè Urbes repræsentant, ut domus augustiores nullo queant notari negotio. En miraculorum congeriem! Septem olim numerabantur miracula; Hic multo plura, centum & quadraginta, ni fallor, in quibus ubi hæreas, universæ Europæ loca munitiona oculis exposita adparent. Ad istas *Icones* fabricandas præ ceteris Noster callebat FRIDERICUS, quippè quarum ideam proprio Marte sæpiuscule adumbrarat, adplaudente Cevalerio, atque Imperio Romano militiæ peritissimum

ritissimum in circumcidendis atque expugnandis oppidis quam acutissimum Heroem ominante. Speculentur alij signorum ortus, alij Naturae investigent mysteria, Theoria aliis Vana in Mathesi allubescat: quam sapienter autem suum Noster studium conformaverat Cevalerij ad præcepta, quem haud immerito cum Endoxo Gnydio comparaveris, qui primus Geometriæ rationes, difficilesque demonstrationes per sensum, atque instrumentorum exempla edidisse perhibetur, conviciis id propter sed inquis à Platone verberatus, quod Geometriæ sustulisset dignitatem, à cogitatione, ac rebus incorporeis ad ea, quæ sensibus perciperentur, declinando.

Videor oblectasse Vos, quæ in Arce Regia Parisensi positæ sunt, Iconibus. Sed majori vobis, aliisque voluptati erat FRIDERICUS, Iconica Musarum Imago, Deliciumque. Perspectè enim docteque sapiebat *Juvenis*, ut non solùm aures Potentissimorum Galliæ & Britanniæ Regum, quorum congressu, atque affatu blandissimo sèpius dignatus, FRIDERICI laudibus personarent; Sed Ejus quoque Nomen ferè per universam Germaniam, imò Bataviam quoque permanârit. Cujus famæ rariitate excita Domus Austriaca, ad spem *Herois Badensis*, qui Romano Imperio olim esset præsidio, exsurrexerat, scilicet Friderici VI. refricabatur memoria, ante quem nulli mortalium virtute aut armis, itemque sagacitate bellica fuere unquam. Superbiebat hoc Duce Bellonæ Frater. Quanti fuerat Idem Suecorum Herculi, *Gustavo Adolpho*? Quis murus Turcas adversum? Quod Galliæ fulmen? Stupebant Hunc omnes velut alterum Scipionem Africanum, qui annum agens decimum septimum ductus in castra, circumventum ab hostibus Patrem liberavit, qui mortuo in Hispania patre, cùm omnes id bellum refugerent, spontè se obtulit, natus annos 24. ubi Carthaginem novam uno die expugnavit, Asdrubalem superavit, Masinissæ nepotem in bello captum, Avo remisit,

misiit, Syphacem regem vi cepit, Hannibalem ex Italiâ accersitum superavit, Carthaginemque Romanis fecit tributariam, reversus Romam triumphavit, Antiochum sub jugum misit. Ita me Deus amet, non paucioribus Illustris palmis fuerat FRIDERICUS VI. Dignitatis verò Auditores Ornatusissimi ea ipsa Atavi vestigia instituturum fuisse FRIDERICUM Abnepotem?

Verùm enim verò quamvis in aciem campumvè nunquam prodierit FRIDERICUS Noster; multum tamen, satisque depugnatum fuit: incruenta bella debellata: Nerone ferocior caro subacta: Cupiditates, affectusque animi aliquantò tumultuosiores in ditionem *Principis* concesserant, ut fere in *Ipsò απάθεια stoica* se exseruerit. Pietatis namque ac Virtutum simulacra, simulacra autem? Imò ipsissimæ Divi FRIDERICI MAGNI Virtutes in *Nepote* clarissimè deprehendebantur. FRIDERICUM verò MAGNUM! Dii manes! Vos, vos obtestor, an quid Illius FRIDERICI Manibus sit Sancto Numini gratius? Qui cùm auras traheret vitales, petræ fuerat consimilis, frangenti fluctus scandalorum: aut soli fortean, qui semper constabat, cum sole supra terram emineret, non obfuscatus fumo tribulationis, non errorum non cupiditatum nebulis, sparsa luce gratiæ æqualiter in omnes, ubivis se divinæ conformans voluntati, non sibi; sed Deo, non Deo soli, sed aliis quoque vivens. Ante omnia tamen, atque ante omnes Deus, curaque Religionis. Id quod præcipuum, gaudentium in Republicâ Majestate ornamentum. Undè Camillus apud Livium; *Intuemini*, inquit, *horum deinceps annorum vel secundas res, vel adversas, invenietis, omnia prosperè evenisse colentibus Deos, adversa spernentibus.* Hinc viperino morsu pejus aversatus fugerat pestilentem illorum doctrinam, qui necessum esse pernegant, interiori animi affectu pietatem amplecti, sed sufficere umbram, sine nucleo corticem, ΛάΦες κεκονιαμένες, si pietatis species, & qualiscunque divini Numinis metus ad retinen-

dos in officio, & à sceleribus Reëpublicam turbantibus prohibendos cives inculcetur, quid autem reverè credat Princeps, parum referre: Ante omnia optandum Principi, ut pius videatur, non ut sit. O voce in verè Diabolicam! Superis, hominibusque ingenuis exosam! Imprimis FRIDFRICO M. æquè ac Nostro, qui Machiavelli *Φλυαρίας*, impietatisque seminibus reje&tis, sincerissimo ex animo pietati studebat, præterea odio plus quam Vatiniano flagrans adversus religionis Aulicæ amasios, aut lustriones potius, quæ omnis mali origo, aularum præsentissimum exitium, ad nequitiam, ad omnis generis turpitudines fenestram aperiens, atque ut paucis multa complectar, via ad *ἀθεϊσμόν*, profligatissimumque Atheismum maxime prona. Qui ubivis est, nusquam est, velut mero gravis titubat, sine Deo, sine religione nil nisi indecora, in dextrum & lævum latus vacillatio. Hem miseros homines! *Φάσκοντες ἔημα σοφοὶ, ἐμωράνθησαν*. Confutare Vertumnos istos jam non est animus, nec vacat, nec prodest Auditorio huic, quod à levitatis vitio abhorret, ac doctrinis sanctioribus in concione Evangelicâ personantibus album calculum jam dudum adjecit; Sed regrediamur ad Divum FRIDERICUM Nostrum i. e. *Pietatem ipsam*, qui verbi divini oracula ut humum generosam metallis, ut auri feraces medullas, argenteique venas perreptaverat, atque riñatus non decies quater, exemplo Friderici III. Cæsaris olim Augustissimi, sed quadragies, sed vel sex centies, nec succensebat isto ex verbo meliora submonentibus, præter morem altissimo in dignitatis gradu collectorum, quibus fermè nihil insolentius, nihil gravius esse solet, quam ferre Catones: Plerumque enim opinantur, sibi palam obtrudendo ipsis, versari sese extra aleam reprehensionis, itaque supra hominum judicia esse positos, ut supra alios omnes. Alienum istorum ab opinione fuisse patet FRIDERICUM, suæ quippe infirmitatis, suæ mortis, urnæque nunquam immemorem, aurea ista sententia Appollinis: *γνῶθι σεαυτὸν* clavis quasi traba-

libus menti infixa, speculo itidem divinæ legis haud mendaci quām sēpissimè inspecto, totamque adeò vitam ad præscripta Verbi non secūs ac Israēlitæ ad motum nubis composuit FRIDERICUS. Hoc cibo animæ reficiebatur, quoties onere solitudinum marcescebat: Hocce spiritūs gladio prælia inibat contra oppugnationum machinamenta & astus inferni Goliathis: Hâc scala nitebatur ad Deum, præmiaque amplissima, strenuis Numinis cultoribus reservata.

*Cœlum enim, cœlum volebat cum Melanchtone. Nec mirum. Irruere montes mali. Ætatis floridæ Princeps, sed ut ingenio, ita variis afflictionum generibus senex. Parum aberat, quin insolabiliter doleret de Conjugis Pientissimæ ac Letissimæ malo inenarrabili. Proh Deūm atque hominum fidem! Mens erat in quereulis tota: suspiria cum singultu, nil nisi lacrymarum imbræ exciebat, quæ in sinu, in brachiis habebatur unica, quæ tacitâ dulcedine FRIDERICI mentem implere edocta. Cætera transeo. Fridericos autem Badenses amarissimis casibus nullo non tempore divexatos clamitant Historiæ. Revocate vobis, Auditores, in mentem sortem asperrimam Friderici I. non solum propter jus suum radicatum in ditiones Austriæ amplissimas, sed & earundem jamjam aliqualem occupationem *Austriaci* dicti. Vah! quantæ spei Princeps Fridericus hic erat! Ad quod excelsum gloriæ & Majestatis culmen adspiraturus credebatur ab omnibus. Totius sanè Germaniæ oculi in Eum erant intenti. Hinc *Cunradinus*, ultimus & infelix ille Sueviæ Dux, cùm Regnum Paternum ab Carolo Andegavensi, obstetricante Pontifice Romano, vi & præter omne fas eruptum, armis sibi vindicandum præsumfisset; Ante omnes Germaniæ Principes ac Heroas Fridericum *Austriacum* sibi eligebat comitem, firmissimè persuasus, Hoc tanto Duce, omnia præclarè, omnia feliciter, fortissimè omnia cessura. Ast tam pio tam legitimo voto proh dolor! eventus respondebat minime.*

mè. Vix enim ingressi Hi Heroes planè incomparabiles Regni Neapolitani fines, post signa Auspiciis sinistris collata, non suâ quidem culpâ, utpote qui hostes jamjam fulminis ad instar usque-quaque prostraverant dissipaverantque; sed nimia atque inordina-ta militum suorum deprædandi cupiditate in fugam tristissimam conjiciebantur, ex quâ per mare per terram passim volitantes, quo se vertant inscii, detestandâ Parasiti cujusdam Romani per-fidiâ retracti, Neapolimque Regni Metropolin abducti, inexora-bili fato cruentas in manus Hostis mitescere prorsus nescii inci-debant ubi juxta execrabilis Oraculi illius Vaticani tenorem: *Vita Cunradini, mors Caroli, mors Cunradini vita Caroli!* Ambo unâ ex-emplo inter Christianos hactenus inaudito, in foro Neapolitano infami Carnificis ense capite truncati sunt Anno MCCLXIX. Quis, quæso, injuriâ Principibus hisce Optimus, maximè Frideri-co illatâ commotus etiamnùm non exclamat: O utinam ex his cineribus quondam exsurgeret ulti! Sed ecce! Oculus Dei o-mnium malorum, præsertim Pupillis illatorum accerrimus vindex, innocentem atque inæstimabilem Huncè sanguinem elapsis vix 14. annis in perfidis Gallis istis severè satis ulciscebatur, per fa-mosissimam illam lanienam, quæ Vespera Sicula vulgò audit, ubi Anno videlicet MCCLXXXII. omnes omnino in regno isto pro lubitu debacchantes Galli, ipso Paschatos Festo, dato sub vesperam signo, internecioni dati sunt atrocissimæ, adeò ut per totum Siciliæ regnum, tum temporis cum Neapolitano jamjam conjunctum, ne unus quidem vivus evaserit, & quod procul du-bio magis mirandum, quamvis juxta tritum illud: *Lupus lupum non devoret;* Factum tamen, ut si qui Monachi ex Gallia oriundi in Monasteriis Siculis fortean deprehenderentur, absque ullo vel Ordinis vel fraternitatis habito respectu, ab reliquis Monachis ca-num ad instar prostrati, adque stygias umbras justissimo Dei ju-dicio detrusi fuerint. Revocate, inquam, vobis, Auditores,

*Frideri-*

*Fridericum illum in memoriam*, qui infausto Amicorum consilio cum Vicino Sceptrum Bohemicum ambiente consociatus, proscribebatur à Patrio solo, à fortunis, à Majestatis throno, imò à spe omni restitutionis extorris. *Friderici* verò *Magni* ætas, quid nisi maiorum cumulus maximus? spirabat hostis Sanguinem, bona, ruinam, interencionem. Spissè atque vix unquam pervenerat ad pacem *Pacificus*, inducias potius dixerim, pacemque temporariam, nec cessantibus nec sublatis belli causis. Ecce rectum ac immotum animi robur, verè *Magnum Fridericum* non elatum externis aut fortuitis rebus nec depresso. Neque *Nostrum* adversa ruebat fortuna. Impulsu venti licet prematur ignis; fortius tamen inde accenditur sursumque erigitur. Et *FRIDERICUS*, quamvis diversâ calamitatum mole aggravatus, subinde non nihil conturbaretur; majori nihilominus exinde inflammatus claritate vehementius ad Deum elevari solebat. O mala optima! O infelicitates felices! tanti boni foecundissimam matrem! Cùm universus orbis moriente Christo densis involverentur tenebris, *Dionysius Judex* in Areopagitarum Senatu Primarius æque ac famosissimus censuit, non aliundè nisi à moriente Deo prodigiosam illam mundi μελαγχολίαν oriri potuisse. Unde exclamasse fertur: *Ant Dens naturæ patitur, ant mundi dissolvetur machina.* Hinc prædicante postmodùm Athenis Paulo & asserente, Christum, quo exspirante obscuratus sit sol, Deum esse, verūmque mundi Servatorem, ad ejus cognitionem haud obscuram brevi temporis spatio pervenit. E tenebris itaque tradita fuit Theologia, è tenebris verum fidei lumen affulsi Dionysio. Id ipsum hodiè etiamnum videoas per multis usu venire, qui quidem cognitionis Dei lumine collustrati, affluente tamen felicitate oculos vix ad Deum tollunt unquam. At tribulatio repertorium Oraculorum, inventariumque cognitionis Dei jure meritoque habetur. Quotidiana etiam condocet experientia, nunquam nos solidius majorique cum reverentia Sacro-

sancto de Numine sentire, quām intra adversitatum tenebras tre-  
pulantes atque sepultos. Quæ cūm ita sint, tantum abest, ut  
aversatus sit mala FRIDERICUS, ut lubentissimo potius animo  
exceperit ista, præsertim cum ipse haberet exploratum, hâcce se  
viâ quām certissimè deduci ad Christum, quippè quo maximè de-  
lectabatur Moribundus: Vestigia nimirūm Friderici, Electoris Bran-  
denburgici legenda sibi putabat, qui vicinus morti nil nisi vulne-  
ra nil nisi obitum Jesu loquebatur. Pari & Ille fiducia misericor-  
diam divinam meritis atque satisfactiōne Christi acquisitam com-  
plexus, adversum conscientiæ pavores in salutis illo Auctore cau-  
sâque imperterritus recubuit ac quievit, exosculando gratiæ alas,  
extensa brachia Jesu, omnis boni scaturiginem, pectus Jesu, labia  
Jesu, nuncia pacis, ocellos Jesu, duees in cœlum, guttulas san-  
guinis Jesu, commune illud ægrarum mentium asylum, crucem  
Jesu, velut augustissimum triumphum, sepulcrum Jesu suæ Arrha-  
bonem ἀναστὰσεως. In ore Jesus, in corde Jesus, omnia Jesus. No-  
lebat igitur amplius Scyllam inter Charybdimque navigare, de-  
fiderio Servatoris Optumi abreptus adamabat non largiores annos,  
non ditionum hæreditatis jure adeundarum possessionem, sed nul-  
lo peritoram ævo ἐνωποι cum Jesu, ipsâ suavitate, Cœlitum curis  
de omnibus triumphantium laxamento. Suo potitus nunc est  
voto, potitus hostium, potitus pacem FRIDERICUS potitus re-  
gno, potitus, quem anhelavit Jesu.

Ecquis FRIDERICO fortunatior vivit? Borussiæ Rege  
Friderico iter aliquandò longinquius ingresso, vi amoris perculta  
Conjux non poterat se continere, quin suis factis hæc infereret  
verba: *Hoc die Corculum meum emigravit.* Nisi me fallunt omnia,  
id lugubris lamentationis passim auditur, FRIDERICO Principe  
sub umbras mortis profecto. Suspirant Corculum suum Serenissimi  
Parentes, Suspirant Pupilli, suspirant omnes, quibus FRIDERICUS  
Noster fuit in deliciis: Cui autem non fuerit? Ehen Corculum No-  
strum

*strum hinc emigravit, nec unquam in hanc mortalem vitam ad nos redditurum!*

Atquè ita *Justa Funebria piissimis Manibus, FRIDERICI Principis debite & summa deicias ac perpetua memoria ergo à me persoluta; quæque de Fridericis Badensibus memoratu digna extant, stylo non quidem prolixiore, veritatem tamen spirante in medium prolata.* Non tædet me operæ, non pœnitet *in optimè Meritum de probis omnibus animum præstissime memorem, rudiori quidem Minervâ: Satius tamen erat, obsequi aliorum mandatis, satius tamen aliquid, quam dixisse nihil.* Feci, quod potui: Si quid melius proferre in medium sciant alij, in Concionem hanc ascendant, cedam loco, palmam lubenter concessurus. Tibi, optime *Dalere, Venerandæ hujus Synodi Præses, gratiæ debentur haud exiguae, cuius nutu atque singulari humanitate permotus Panegyricum hunc conscripsi, Deo autem adspirante peroravi.* Quod justum erat, indixisti, pium sanctumque negotium. Non est, quod cures censorias quorundam, vitio Tibi vertentium, quod *Justa hæcce non in primoribus statim post placidum Beatissimi Principis obitum diebus vel mensibus persolvi curaveris;* At ignorant illi animum Tuum non nisi justa spirantem, ignorant mentem Tuam, quâ Panegyricum hunc qualemcumque non alio quam solenni hoc *Conventu dici æquum judicabas, ut scilicet nos omnes ac singuli, qui FRIDERICUM Principem impensè amabamus, omnes quoque ac singuli Laudum suarum à me indigno decantarum admiratores essemus summi testesque integerrimi.* Quo ipso commonstraré volebas bonis omnibus, luctum nostrum non aliquot duntaxat *macilentorum* saepius versuum strophis includi, neque memoriam FRIDERICI apud Tè omnesque inspectioni Tuæ vigilantissimæ concreditos Verbi Divini Ministros, menstruam saltē esse, vel bimestrem, vel trimestrem, sed perennem prorsū nulloque tempore intermorituram. *Sat igitur cito, si sat sincerè, si sat ingenuè!* Debentur gratiæ splendidiori huic Coronæ, quod *Divi FRIDERICI*

RICI laudes recitanti patulas aures præbere voluerit. Maximæ omnium debentur gratiaæ Deo T. O. M. Tuere Rex Regum, Domine Dominantium patriæ Patrem CAROLUM, totamque Ejus Domum Serenissimam, ut ad Nestoreos usque annos Ipse civibus jura dare queat. Tuere Dominum ac Nutritorem Nostrum Munificientissimum, ut clementissime nos protegat, benignissime foveat omnes! Adspira Ipsi salutaria consilia, consiliis largire prosperos successus, successus confirmans, auge, provehe, ut sint stabiles atque perpetui. O Beatum Principem Nostrum civibus morigeris! O beatos Cives Princeps virtute Optimo, potestate Maximo! Tandem, O Deus, sacri Auctor Ministerii, sinceris humillimisque Te obtestor precibus, ut Hierarchiam Tuam Ecclesiasticam, quam mortalium commodo sapientissime instituisti, adversus fremitus orbis orci que integrum ac incorruptum conserves: Da nostro Sacrorum Antistiti de Te Tuaque Ecclesia ore calamoque dudum Meritissimo, da Ministris hisce plantantibus ac rigantibus, mihi denique Tuorum Servorum infimo, incrementum uberrimum, os, sapientiam, quæ Praecones Sacros condecet morum puritatem, donec ex hac vitâ, tanquam ex hospitio, non tanquam ex domo, Te jubente, placide discedamus!!

Valeat, sexcenties valeat Deliciolum olim Nostrum FRIDERICUS, in sinu Dei requiescat, quam placidissime, qui nube jam meioris depulsâ, nimiâque in cœlis voluptate gestiens hæc nobis occinit:

Ponite, quæso modum lacrymis! quid corda dolore  
Excoquitis? cessant nunc mala: pace fruor.  
Pace fruor diuos inter; sed pace carebam,  
Pacis utut nitidum nomen adeptus eram.  
Jungere collibitum fuerat mihi nomen. & omen:  
Non animum: aut bilem livor agebat edax.  
Non minitans vultu ad certamina dura ferebar,  
Racifica retuli sed honestate Deum.

Nec tamen à mundo *requies* concessā furente:  
 Pax mea dissidijs səpē agitata fuit.  
 Quo *Fridericus Avus* templum stellantis Olympi  
 Qui colit,, audito,, poplite pronus ait :  
 Sceptra tenens orbis nullum peritura per ævum,  
 Ut sua,, fac,, claudat lumina morte *Nepos* !  
 Concidit heu pietas & subdola retia tendit.  
 Improba turba tuis ; in quibus hæret amor !  
 Hæret amor purus sceleris ; sed səpē fecellit,  
 Quis Virtutis honos,, tartara nigra colens.  
 Annuit Omnipotens precibus : mea vita recessit,  
 Atque adii lætus regna superba poli.  
 Nunc sociatus *Avo* Pompas contemno caducas,,  
 Inque Sacrosancto Numine prosper ago..

*DIXI.*

63

Baden